

Alii addunt Locrim, & Rheygium, atque Tarentum; ut invenitur apud Tullium pro Cornel. Balbo, & apud Polybium lib. 6. Urbibus hisce a Romana Republica is delatus est honor, ut Exules, qui extra Romani Imperii fines peregrinari debebant, in iisdem habitare permittebantur, quasi ad imperium urbes non pertine-rent. Testatur citato loco Polybius. Quod quidem non solum nobis, nostrisque omnibus, verum quoque iis, qui nobiscum commune cœlum non habent, argumento esse debet, præfatas urbes a Romanis, non uti subditas fuisse habitas, sed potius veluti socias, amicas, ac foederatas.

Nullam prorsus Brutiam urbem inter Præfecturas invenimus, quanvis multæ Italicæ civitates adnume-rentur. Vigintiduæ Præfecturæ in Italia fuerunt; ex quibus decem a Præfecto, a Romano Senatu ad hoc deputato, regebantur; & duodecim aliæ sub urbani Præfecti regimine erant, qui multoties eas per infe-riores Præfectos administrabant. Decem illæ recensem-tur, Capua, Cuma, Casilinum, Voltturnum, Linter-num, Puteoli, Acerra, Setia, Atella, & Calatia. Duodecim aliæ sunt, Fundum, Formia, Cero, Vena-frum, Aliphas, Arpinum, Anagnia, Pipernum, Fru-sino, Reate, Saturnia, & Nursia. Duriorem præ cæ-teris urbibus, quæ Coloniæ, Municipia, & Fœderatæ dicebantur, Præfecturæ conditionem subibant; quia nec proprias habere leges poterant, ut Municipia, nec Magistratus creare ex proprio illarum cœtu, ut Colo-niæ. Sub Romanis legibus vivebant, & conditiones illas ferre cogebantur, quas iisdem Romani Magistra-tus imponere volebant.

Duo ad rem nostram in Præfecturis hisce obser-vamus. Primum est, quod Brutiaæ urbes non paucæ